LUSUS AMATORIUS

SIVE,

Musæi Poema

DE

HERONE & LEANDRO.

E Græcâ in Latinam Linguam Translatum.

CUI

Aliæ (tres scilicèt) accedunt Nugæ Poëticæ.

Authore Charles Blake C. B. è Coll. Di. Jo. Bapt. Soc.

Plaude tuo marti, miles; nos odimus arma:
Pax juvat, & mediâ pace repertus amor. Ovid.

Imprimatur, *Sept.* 18. 1693.
EDWARD COOKE.

LONDINI,

Prostant venales apud **Thomam Speed**, ad Insigne *Trium Coronarum* in vico vulgò vocato *Cornhill*, 1694.

UMI

x821M64
MIL
1694

Nobili admodùm atque Honoratiſſimo viro

Domino G. D. Baronetto,

Non minùs propter Animi dotes, quàm Sanguinis
honeſtatem, Celebrando ;

Nec non inter Amantes (ſiquis unquam certè)
Feliciſſimo paritèr ac Fideliſſimo,
Luſum hùncce Amatorium,

In perpetuum, tùm Obſequii ſui erga Illum,
cùm Gratitudinis, Authoramentum,
Humillimè offert, dicat, dedicatq;

C. B.

735438

Luſus Amatorius, &c.

LAmpada, furtivos quæ conſcia vidit amores,
Quos fruſtrà optavit totiès Aurora videre,
Diva canas; magnúmque virum, qui pectore nudo
Per tumidos fluctus, pérque aſpera ſaxa profundi,
Nocturnum patefecit iter; ritúſque peregit
Idalios, blandæ gremio porrectus Amicæ.
Nec non æternum tua carmina nomen Abydi
Dent famæ; & Seſtos cantetur parva per orbem,
Mutua liba'runt ubi gaudia noctis Amantes.
At quò mente feror? Quaſnam Telluris ad oras
Muſa rapis? Videor jam nunc audire Leandrum
Ilia ducentem, palmis dum verberat æquor
Spumoſum; videor mihi vertice Turris in alto
Hiſce oculis ſpectare Facem, quæ deſuper undas
Proſpiciens, te, Nauta, vocat; tibi monſtrat eunti
Officioſa viam, fluctus dum tramite ſignat
Purpureo; latéque reſolvens luce tenebras,
Ecce tuos niſus miſeranti oſtendit Amicæ.
Ter ſalve, Fax uſque vigil! Vera illius ignis,
Viſcera qui Dominæ flagrantia carpit, imago!
I nunc, ſidereas aperit tibi Jupiter arces;
Inſere te cœlo; Veneri chariſſimus almæ
Heſperus alter eris. Sed fati haud immemor unquàm
Seſtiados miſeræ, felici ſemper Amantes
Influxu aſpiciens, votis ſuccurrere diſcas.
Nam benè Tu noſti, quàm ſævis pectora flammis
Urit Amor; noſti, quales tulit ægra dolores,
Quos gemitus & quæ ſuſpiria fuderat Hero,
Si quando injecit viduo ſua membra cubili,
Spémque diù ſotam rabidi maris ira fefellit.

Tu

Tu quoque cum Nymphâ, veluti comes, ire ſolebas
Ad ſpeculam, quoties terram nox abdidit atra ;
Donec ab Æolio prorumpens carcere ventus,
(Fortitèr ah nimiùm ſpirans !) vitámque Leandri,
Téque ſimul, tenues diſcedere juſſit in auras.
Stant urbes geminæ, rectà ſeſéque viciſſim
Trans mare proſpectant, reflui prope litora ponti,
Gurgite qui parvo adverſas concurrere terras
Europámque Aſiámque vetat ; quarum altera Seſtos,
Altera (ſic patres voluere) vocatur Abydus.
Hanc urbem incoluit florenti ætate Leander,
Inter Abydenos quo non formoſior omnes
Alter erat Juvenis ; ſed candida Seſton habebat
Hero, jam matura viro, ſpes una parentum,
Seſtiadáſque inter longè pulcherrima Nymphas.
Hi flammâ caluere pari ; nam certa Cupido
Spicula corripiens, arcum lunavit, & uno
Amborum confoſſa dedit præcordia telo.
At ſi (quiſquis eris) rerum ſtudioſe viator,
Te fortuna pedes illàc torquere vocabit ;
Siſte precor, cupidíque tui paſcantur ocelli
Disjectas moles exesáque ſaxa tuendo :
Saxa etenim viſuntur adhuc, veſtigia Turris,
Stare ubi per noctem nimìs anxia virgo ſolebat,
Ductricémque ſuo tedam præferre Leandro ;
Cujus adhuc fatum mœſtæ deflere videntur
Naiades ; & queruli dum fluctus murmur ab imo
Æquore dant ripis, reſponſant flebile ripæ.
Sed pandas mihi, Diva, modum, quo Seſta puella
Vulnus Abydeno juveni dedit inſcia prorsùs
Arcanum, paritérque recepit vulnus ab illo.
Cùm fronte inſignis tùm ſanguine nobilis, Hero
Sacra miniſtra fuit Veneri ; ſponſæque precantis
Vota Dionæas imponere ſuevit in aras.
Hæc procùl à patriis, facie Venus altera, tectis,
Ad mare fluctiſonum poſitas habitaverat arces
Sola ſibi ; tenuítque ſuum intemerata pudorem.
Nec juvenum cœtus, ut mos erat, illa frequentes,
Néve puellares unquam eſt dignata choreas
Viſere ; nè roſeo vultûs ſplendore, placere

Queis

Queis velit, invidiâ cruciaret ſæva ſodales.
Novit enim quantis muliebria pectora Livor
Exagitet ſtimulis; nam rarò Fœmina gaudet
Ora, niſi in proprio ſpeculo, formoſa videre.
Non illi, baccata ſuo circundare collo
Vincula, vel pexos gemmis onerare capillos,
Unica cura fuit; ſed quo ſibi Numen haberet
Uſque favens magnæ Veneris, penetralia ſacra
Illius accedens mactavit ſæpè volucrem
Chaoniam, & cinxit redolenti altaria myrto.
Thura, Cupidineos ut ſic averteret ictus,
Sæpiùs illa dabat; votiváque plura quotannis
Munera, ſuſpendenda tholo, promiſit Amori.
Nil tamen iſta juvant; haud munera reſpicit unquam
Cœcus Amor. Tàm dives opum quàm pauper amare
Cogitur; ignitas effugit nemo ſagittas.
Jámque aderat feſtiva dies, tibi, pulcher Adoni,
Et Paphiæ ſacrata Deæ; quùm Seſton ad urbem
Agricolæ, & ruris vicinia tota, vetuſto
Pro more agglomerant. Veniunt hùc protinùs omnes,
Quotquot ab Ægæis miſerunt Cyclades undis.
Hùc venit Æmoniæ campos qui vertit aratro,
Quíque Hebri bibit amnis aquas; deſcendit ab Idâ
Paſtor, & excelſo Libani de culmine montis
Plaudentûm ſeſe agmen agit; Neptunia Cyprus
Deſeritur; Nymphíſque vacat, modò plena, Cythere.
Quin ubi de Feſto rumor pertingit Abydi
Mœnia, turmatim à tectis effuſa Juventus
Quà data porta ruunt; verrentéſque æquora tonſis
Accelerant, avidi ſolennes viſere pompas.
Non verò Pietatis amor, non annua Divûm
Sacra, peregrinæ pubis juvenilia corda
Sollicitant; hi longè alio flammantur ab Igne;
Néve Deam agnoſcunt, niſi quæ Mortalis habetur.
Intereà ſeſe Veneris, ſpectabilis Hero,
Magnifico ſuſpenſa gradu, per templa ferebat.
Eximius nitet ore decor, radiíque gemellis
Hìnc atque inde fluunt oculis; novus unde per ædem
Flagrat honos, duplicíque auro laquearia fulgent.
Interfuſa genas diſtinguunt alba rubentes

Lilia,

Lilia, purpureis floréntque coralia labris;
Dum niveæ cervicis ebur diffuſa flagellat
Cæſaries, humeróque pedes descendit ad imos
Veſtis, & aurato lambit veſtigia limbo.
Temporibus veterum, quùm Tyndaris altera Phœnix
Atque niger quaſi cygnus erat, finxere Poëtæ
Tres numero tantùm Charites; ſed plurima luſu
Gratia Seſtiados vario per membra vagatur:
Mille ſinu reſident Veneres; bis mille Lepores
Naſcuntur facie, quoties gemmantia flectit
Lumina, vel riſu levitèr movet ora ſereno.
O quæ virginibus præſtantior omnibus una es,
Fœminéæque decus turbæ! Quàm digna ſacerdos
Tu ſimùl es Veneri, ſimùl & Venus ipſa videris!
Ecce autem quanto fervent delubra tumultu
Confluxúque virûm! Dextrâ ſolennia ponunt
Dona focis Divæ; ſed habet ſibi corda ſacerdos.
Illa ubicunque tenet greſſus, quacunque per ædis
Marmoream ſpatiatur humum, furtiva medullis
Inſinuat ſeſe juvenum; dulcíque catenâ
Ducit ad arbitrium vultúſque animóſque ſequaces.
Hìnc totam extemplò peſtis jucunda catervam
Corripit, ac teneris cœcum oſſibus implicat ignem.
Dant alii gemitus; alii ſua vulnera celant.
Cùm ſubitò è multis unus, cohibere furorem
Impatiens, tandem has effudit pectore voces.
Sæpè equidem vidi claram Lacedæmonis urbem
Quæ vulgò nunc Sparta audit; notiſſima famæ
Egregias propter, quarum eſt opulenta, puellas.
Vidi ibi luctantes nudis perſæpè mamillis
Corpore præſtanti Nymphas; at Fœmina nunquam
Tàm ſuavis, tàm blanda tuens, hiſce obtigit antè
Obverſari oculis; cui nunquam vel tulit ætas
Vel feret ulla parem. Ah, quoties invita retraxi
Lumina ſuſpirans! Mox hæreo totus in illâ
Rursùs; & obtutu placido defixa pererrat
Membra, ſed expleri neſcit, mens noſtra, tuendo.
O ſi, Virgo, tuis cingi mea colla lacertis,
Inque ſinu tepido vitam expirare, liceret!
Non mihi rex Erebi, non pallida Mortis imago

Terrorem

Terrorem incuteret ; quin ultima voce profatus
Clamorem exultans, Sic, ſic juvat ire ſub umbras!
Non ego Cœlicolas inter conviva ſedere
Optarem, ſummi neque ſceptra ſuperba Tonantis
Invidus aſpicerem ; ſi (quod dent Numina !) mecum
Fœdera connubii ſocialia jungeret Hero.
Sorte meâ felix, meritò tunc pocula Divûm
Vel nihili facerem ; nam ſponſæ baſia figens,
Nectar ab Hyblæis poſſem exhaurire labellis.
Sed ſi vana peto ; ſi non conceditur ulli,
Alma, ſacerdotis veſtræ, Cytherea, pudorem
Sacrilegâ laxare manu : Nihil amplius oro,
Quàm quòd huic ſimilis, mihi ſit pro conjuge, Nympha.
Sic fatus ſua corda levat ; dum cætera pubes
Vulnus alit venis : Primáſque ſub ilia flammas
Incaſſùm reprimens, bibit altiùs inde venenum.
Aſt ubi, Virgineæ correptus imagine formæ,
Attonitúſque inhians, deſcendere in oſſa Leander
Intima percepit rabiem, viréſque tegendo
Sumere ; turbato ſub pectore multa volutans,
Experiamur, ait (quid enim tentare nocebit ?)
An precibus flecti poterit, ſeu queſtibus aurem
Virgo dabit facilem, noſtros miſerata dolores.
Ah pereo infelix! Pereo ; niſi fas ſit ab Illâ,
Unde malum accepi, demùm ſperare ſalutem!
Talia dum ſecum loquitur, dúmque æſtuat intùs ;
Per liquidas accenſa genas it flamma repentè
Purpurea, arcanos animi confeſſa tumultus.
Ecquis enim oſtentet tàm duro robore pectus
Armatum, ut Formæ non ſit penetrabile telis
Fœmineæ ? Quem non valeat ſuperare Cupido ?
Uſque adeò incautis oculis haurimus amorem
Ignari ; donèc tacitè ſublapſa per artus
Blanda lues, diro cruciat præcordia tabo.
Hìnc miſer inſanit Juvenis ; mens anxia curas
Mille ſimùl verſans, nunc hùc nunc fluctuat illùc
Spémque metúſque graves inter : Modò gaudia frontem
Exhilarant ; ſubitóque rubor pallórque viciſſim
Per dubias properant refluo cum ſanguine venas.
Heu, quid agat ? Vel quo dilectam ambire Puellam

Audeat affatû ? Stimulos amor addit inerti,
Sed vetat ire pudor linguámque pedâſque coercens.
Sic piger obſtupuit. Mox verò audacia creſcit
Paulatìm ; totóque ingrata modeſtia vultu
Exulat, ut nimiùm virtus oneroſa procanti.
Nec mora, difficili nixu per denſa virorum
Agmina corripuit ſpatium ; turbâque ſolutus,
Virginis aſpectu coram, veſtigia fixit.
Jámque trahens altè gemitus, ad ſydera palmas
Erigit, inque humeros labentia colla reclinat.
Tum nutu alloquitur Nympham ; visúſque protervos
Obliquans, aciem petulanti dirigit ictu :
Utque palàm faciat vulnus per ſigna, loquaces
Ecce vicem linguæ digiti ſupplere docentur.
Illa ubi perſentit quid mœſti verba Leandri
Tot ſibi muta velint ; propriæ benè conſcia formæ,
Ipſa ſibi plaudit ; criſtáſque in vertice tollens,
Altior incedit greſſu tumefacta ſuperbo.
Quò magis inflammet Juvenem, laſciva venuſtam
Nunc faciem obnubit peplo ; nunc torva tuetur ;
Atque ita crudelis captivo inſultat Amanti :
Nunc illum aſpiciens, quaſi jam Sperare juberet,
Annuit, & motis blandè ſubridet ocellis.
Accipit hæc lætus Juvenis ; cui ſumma voluptas
Sollicitam recreat mirâ dulcedine mentem,
Quòd ſua non dederit ſurdis ſuſpiria ventis.
Dúmque ſpei plenus molliſſima tempora fandi
Cogitat, & paritèr quæ prima exordia ſumat ;
Heſperus interèà præceps deſcendit ad æquor
Occiduum, involvens terrámque polúmque tenebris.
Tunc ille, auxilio noctis confiſus, Amicam
Aggrediens, lateri non evitantis adhæret.
Ac primò affari metuens, modò vellicat oram
Extremam pictæ chlamydis, modò veſte remiſſâ
Mollitèr apprendit lævam, digitóſque rubentes
Contrectans, gemitu gravitèr ſe quaſſat anhelo.
Abripit illa manum ; vocémque, in guttura ſurſùm
Dum quærebat iter, tanquam indignata repreſſit :
At placido aſpectu ſimulatam prodidit iram.
Sumit ab hoc animos Juvenis, pallámque fluentem

Vir-

Virginis invadit manibus ; penitiſſima templi
Ad loca contendens (ubi Nox circumvolat umbrâ
Subluſtri, qualis teneræ præbenda puellæ eſt)
Vi trahit invitam ; ſed non invita trahenti
Obſequitur ; ſic pugnat enim, ut quæ vincere nollet.
Fœmineis tamen illa minis objurgat, & ore
Intonat irato, dictíſque ita fatur acerbis.
Improbe ! Quis furor, aut quæ te dementat Erynnis ?
Mitte togam, aut patris famulos clamore ciebo.
Nullâne te tangit Pietas ? Per Numina juro
Quæ templo hoc reſident, faciem tibi protinùs ungue
Diripiam, niſi tàm fœdo deſiſtis ab auſo.
Túne potes (demens !) noſtrum ſperare cubile
Hoſpes, & ignotus ? — Norunt meliora parentes.
Talibus infremuit. Sed poſt tot nubila & imbres
Horriſonos, poſt tot reboantia fulgura, quis non
Tranquillam cœli certò prædiceret auram ?
Quando etenim, clamoſa acuens in jurgia linguam,
Fœmina verba proci blandè ſuadentia verbis
Fulmineis, queſtúſque minis furioſa rependit ;
Obſeſſæ eſt urbi ſimilis, quùm ad mœnia cives
Ultima perpeſſi coeunt : In turribus altis
Sanguinea attollunt ſigna, & jam jámque parati
Prælia inire volunt, aut ſaltèm velle videntur ;
Sin hæc ſucceſſu careant, ſi fortiùs inſtans
Miles ab adverſo nunc mœnibus imminet, armis
Depoſitis pacem exorant portáſque recludunt.
Sic palmæ certus, magis ac magis inde Leander
Incaluit ; totíſque novum bibit oſſibus ignem.
Et jam virgineâ pendet cervice, tenaci
Amplexúque fovet, placido ſic ore loquutus.
O Dea ! Nam certè non eſt vox nec tibi vultus
Mortalis ; mea pulchra Venus ! Mea caſta Minerva !
Sis felix, noſtrúmque leves miſerata laborem.
Ah miſer in flammas abeo ! Per viſcera ſævus
Regnat amor, penitúſque perêdit felle medullas.
Si qua tibi pietas, ſi non in pectore ferrum
Aut adamanta geras ; hæc per delubra, per aram,
Per caput hoc tibi devotum, per vulnera noſtra,
Pérque tuos oculos qui vulnera noſtra dedere,

Te precor exhibeas ægro ſolamen Amanti,
Quem ſervare potes ; potes, ah, quem perdere amantem !
Elige utrum facias. At non immania corda
Sunt tibi ; non tales decet inclementia vultus.
Soláne perpetuâ mœrens carpère juventâ ?
Nec dulces natos Veneris nec præmia noris ?
An tu ſacra velis ritu celebrare Dionæ ;
Nec quid Hymen, quid amor, quid ſint connubia, curas ?
Exue crinales vittas ; ſi grata ſacerdos
Eſſe cupis Veneri, Veneris hæc jura ſequare.
Me Puer omnipotens, qui, poſt tot monſtra ſubacta,
Magnanimum Alcidem docuit ſervire puellæ
Jardaniæ, & fuſum digito verſare toroſo ;
Me tibi miſit Amor. Si te metus ullus Amoris
Commoveat, precor ut miſerum, ac ferè luce carentem,
Hoſpitio dignere tuo, gremióque reponas.
Seu Famulus dicar, ſive Hoſpes, ſive Maritus,
Nil moror hos titulos ; ſolum Tuus eſſe laboro.
Forſitàn audieris (nam vulgus fama per omne
Labitur) ut quondam tedas Atalanta jugales
Averſata, feras inter ſylváſque Dianam
Innuptam coluit, ſprevítque Cupidinis arcus.
Mox autem ſuccenſa Venus, glaciata ſuperbæ
Pectora comburit Nymphæ, juvenémque coegit
Milaniona, priùs quem valdè odiſſet, amare.
Ergò cave, quæſo. Noſti ut faſtidia Divæ
Diſpliceant Paphiæ : Tanti tu Numinis iram
Hoc, precor, exemplo diſcas vitare tremendam.
Dixerat. Illa avidâ dulces bibit aure loquelas ;
Nec quid habet quo tàm mulcentia dicta refellat.
Nunc oculos defigit humo, roſcóque pudore
Obſtupuit ſuffuſa genas ; nunc vela reducens
Serica circum humeros, quæ tergo fortè fluebant,
Confeſtim ſeſe avertit ; paulúmque recedens,
Lævia verrebat taciturnis marmora plantis ;
Mox redit, ínque viri conſpectu obmutuit amens.
Aſt ille interea meditatur mente triumphos,
Et ſecum Pæana canit ; dum ſaucia Virgo
Ardeſcit, pérque alta ſilentia narrat amorem.
Jámque furens animo, per membra decora Leandri

Lu-

Luminibus tacitis errat; jam lactea colla
Impubésque genas videt, insanítque videndo,
Et rabidos circum præcordia ventilat ignes.
Nec latet haustus amor; sed fax vibrata per artus
Sidereos, totum tremulo sudore fatigat
Corpus, & ingenuo distendit murice venas.
Cùm subitò in gremium faciem demissa pudicam,
Ingemit; ac medio sic interfata dolore est.
Ipse vel hanc statuam suavi sermone moveres,
Inque remolliti penetrares viscera saxi!
Quis te mellifluas voces, artésque loquendi
Multiplices docuit? Nostram quis visere terram
Ferreus ah, primùm suasit tibi? Nam tua verba
Incassùm fundis; sterilíque exuris amore
Pectus inassuetum flammis. Utrique parenti
Displicet, ut cuivis conjungar sponsa marito.
Nec meus intereà peregrinum lectus Amantem
Excipiet; qui, cùm primus deferverit æstus,
Oscula & amplexus & fastidita relinquet
Gaudia, longinquas procùl hinc fugitivus ad oras.
Sin statuis mecum, vagus incertúsque, morari;
Nulla Cupidineos abscondent antra furores.
Pernicioса virûm lingua est; umbrâque silenti
Quod facis, in mediis auditur manè viarum.
Dic verò nomen, quo te possim memorare
His pulsùm à terris, & tristia fata sequutum,
Sive tegat tellus, sive æquoris hauriat unda.
Ipsa (sed immeritò, fateor) celeberrima dicor
Hero, ut tu jamjam audisti fortasse; mihíque
Sestiacas juxta ripas domus alta tuetur
Cœruleos latices, & vertice nubila pulsat.
Non illìc lætas inter jucunda Sodales,
Aut festiva cano, aut duco aspicienda choreas.
Non sonat argutæ thalamo testudinis unquàm
Dulce melos nostro; solùm mare murmurat atris
Vorticibus, fremitúque ægras diverberat aures.
Quódque magis cruciat, (sic vult mea dura noverca)
Una mihi tantùm comes est ancilla, timores
Quæ minuat dominæ, simùl & custodiat arcem.
Sic fata est; roseúsque iterùm pudor orsus ab ore

Imple-

Implevítque genam, & teneros defluxit in artus.
Quæque modò dixit, jam nunc indicta volebat.
Haud ita Leander, veſano tactus amore;
Sed varios verſare dolos, multúmque putare
Qui poterit magnum Veneris certamen inire.
Indomitos compeſcit Amor, proſternere doctus
Effrænatum animum; pòſt autem mitia dicit
Verba, ſuóſque levat modò quos oppreſſit Amantes.
Sic etiam, immiti percuſſum vulnere, juvit
Leandrum; tali qui voce ſilentia rumpit.
Virgo, tibi ut jaceam tèr felix ſponſus in ulnis,
Quamvis unda foret rutilis impervia flammis,
Ad tua per fluctus ardentes caſtra venirem.
Nil te viſurus metuam; ſævos neque flatus
Ventorum, aut rapidis cinctum Tritona procellis.
Sedulus at ſemper tentabo nocte profundum;
Póſtque Helleſponti lites dulcémque laborem,
(Haud etenim longè notiſſima diſtat Abydus)
Ecce, tuus veniam, promptus ſine veſte, maritus.
Tu tamen in cæcis tenebris defige lucernam,
Ut Turrim ſpectans oculo, tibi navis Amoris
Deferar, alma tuæ attendens moderamina ſtellæ.
Tum neque ſervabo flectentem plauſtra Boöten
Pigra: Nec abſiſtam à cœpto, licèt ater Orion
Stringat acutum enſem, & lethales depluat imbres.
Chara autem hoc caveas; ne flamine ventus acerbo
Abripiat lucem, mediiſque ego prenſus in undis
Suſpirem moriens, animámque in gurgite linquam.
At quoniam cupias noſtrum, ô pulcherrima, nomen
Scire; Ego ſum (teneas, oro, memor uſque) Leander,
Et (modò tu dederis) Conjux chariſſimus Herûs.
Hæc ubi ſuaviloquâ Juvenis cum voce dediſſet,
Illaqueans animum Nymphæ; quàm lætus uterque
Ardet in illicitos amplexus ire! Sed hora,
Sed locus, heu nondum ſatìs opportuna, vetabant.
In præſens differre placet ſua gaudia. Noctù
Illa Facem è ſummâ turri oſtentare jugalem
Spondet, Abydenos dum linquens ille penates
Corpore piſcoſi tranaret gurgitis undas.
Fœdera ſic ineunt, almæ jam conſcia Divæ

Nu-

Numina teſtantes; fideíque in pignora dextris
Implicitis, paritèr preſſiſſima baſia jungunt.
Tum diverſi abeunt: Ægrè divulſus ab ulnis
Et charo aſpectu Dominæ ſtaventis, ad æquor
Dirigit ille pedem, divortia quæque viarum
Sedulus obſervans, nè quùm remearet, opaca
Noctis in errores incautum duceret umbra.
Jámque renaſcenti luſtrabat lampade terras
Craſtina lux; Phœbi tardè reptantis Amantûm
Incuſat ſpes ægra moras, longúſque videtur
Stare dies. Quodcunque parant, quocunque vagantur,
Sola animo Nox grata ſubit; mens omnis in illâ eſt.
Nox tandem adveniens optata, ſilentia mundo
Rebus & omnigenis induxerat alma ſoporem;
Ac ſoli requies non eſt conceſſa Leandro.
Ille ſed inſani Furias perpeſſus amoris,
Ad cava per tenebras Phryxæi litora ponti
Se feſtinus agit; celsâque crepidine ripæ
Conſtitit, opperiens promiſſæ nuncia tedæ.
Verùm ubi jam cœlos nigreſcere viderat Hero,
Evolat, atque altâ pinum ſuſpendit in arce
Flammiferam. Subitò Juvenem novus occupat ardor
Vel procùl abſentem; conſpecto lumine flagrat,
Et ſocias patitur vivâ cum lampade flammas.
At quùm turbineos fluctus, ſpumoſáque ſævi
Murmura Neptuni perculſis auribus hauſit;
Diriguit primò, gelidúſque per ima cucurrit
Oſſa tremor. Sed mox poſito ſua corda timore
Erigit, & ſecum dubitans his vocibus infit.
Heu! Quàm difficilis mihi nunc datur optio! Acerbam
Cui vel Aquis mortem, vel ab Igne ſubire neceſſe eſt.
Sævit amor, ſævit pontus; placabile Numen
Neuter habet! Noſtris ſurdeſcunt ambo querelis!
Quid faciam infelix? — Flammas ego pectore toto
Arripiam; gelidi ſic nil maris unda nocebit.
Æquora cùr metuam, cùm ſit Venus æquore nata?
Imperat illa ſalo; noſtros regit illa dolores.
Vix ea fatus, humi veſtem deponit, & alto
Litore deſiliens niveo ſe corpore in undas
Miſit; & alterno diducens brachia motu

Incu-

Incubuit pronus pelago, dum candida cervix
Eminet, ac madidi fluitant in terga capilli.
Ipſe ſibi remex, ſibi vector, & ipſe carina,
Pervigil (inſolitos quoniam nulla orbita curſus
Dirigat) Idalio ſemper dependet ab aſtro,
Atque ducem verſus, directo limite, Tedam
Urget iter liquidum, ſulcans vada ſalſa lacertis.
Seſtias intereà, ſolo ſtans culmine Turris,
Tethyos exorat numen, votíſque precatur
Marmora ſupplicibus venienti tuta marito.
Et contra Boreæ rabiem Caurique tuetur
Lampadis obtenſo famulantia lumina peplo;
Donec ad optatos portus benè teſſus Amator
Appulit incolumis, ſiccâque reſedit arenâ.
Nec mora, ſublimi Virgo decurrit ab arce,
Et reſerat feſtina fores; jámque obvia ſponſo
Facta ſuo exultat, primóque in limine tecti
Aſſiluit, charâque diù cervice pependit.
Oſcula mille rapit, nudos velamina circum
Injiciens humeros; modò rursùs & oſcula libans,
Rorantes nitido detergit pollice crines.
Tum ſecum in Thalami ducit penetralia, ad ignem
Corpus ubi gelidum refovet, mulcétque pudicæ
Lenitèr attritu dextræ; dein proluit artus
Ambroſios pingui ſucco fragrantis olivæ,
Inque comas nardi pretioſos irrigat imbres.
Inde toro ſimulàc molli recubabat uterque,
Illa ſtatim blandis Juvenem conſtringit anhelum
Nexibus, hæc roſeis depromens verba labellis.
Chare mihi conjux! vitâ mihi dulcior ipsâ!
Quot varios caſus, diſcrimina quanta tuliſti!
Túne mei causâ (mea Lux! Mea ſola voluptas!)
Per freta, per ſcopulos, per murmura rauca procellæ
Ferre viam poteras? En, accipe digna laboris
Præmia, (ſiqua tuo ſint præmia digna labore)
Accipe me totam! nam ſum tibi tota dicata;
Inque ſinu noſtro tua pectora laſſa reponas.
Talia dicentem medio in ſermone Leander
Occupat amplexu, pro verbis facta rependens.
Multa, Dionææ tanquam præludia pugnæ,

Basia panguntur; Veneris tum lanea solvit
Vincula deliciis inhians, placidúmque petivit
Conjugis infusus gremio per membra soporem.
Sacra maritalis peragunt sic dulcia lecti,
Fortunati ambo; dum nullus ritus inanis
Optatam à Sponso cupienti prorogat horam.
Nullus, uti mos est, emptus mercede, Poëta
Fescennina canens raucâ cum voce Maritam
Occidit miseram; præcinctæ lampades auro
Non his collucent thalamis; neque turba proterva
Nympharum celebrant agiles ad plectra choreas.
Sed loca tuta silent; effræna licentia furti
Promovet Idalios lusus, Nymphæque pudentis
Nox taciturna genas nigranti obducit amictu.
Sæpè, sed incassùm, Tithoni Aurora cubile
Deseruit citiùs solito; ut, per lata fenestræ
Ora, salutaret post prælia noctis Amantes:
Namque diem fugiens primo sub manè Leander
Mollibus exurgit stratis, hæsura relinquens
Suaviola in labiis Dominæ; pelagóque remenso,
Intùs adhuc ardens, patrias appellit ad oras.
Parte aliâ, tumidi crescentia pondera ventris
Hero ut celaret, laxâ cum veste parentum
Callida dat fucos oculis. Cupit illa videri
Virgo die; at Mulier noctù plusquam esse videtur.
Sæpiùs occulto sic oblectantur amore,
Et fausti indulgent thalamis. At (proh dolor!) ô quam
Exiguo pendet filo hæc fugitiva voluptas!
Vix benè pulchra dies (sors ô crudelis Amantûm!)
Orta fuit, subitò quin tristibus occidit umbris.
Jámque pruinoso contristans frigore Cœlum
Horrida bruma venit. Nautis inimicus Orion
Desævit; Boreásque atros ad littora fluctus
Agglomerans, imis è sedibus excitat æquor.
Non jam descendit cupidus mercator in altum,
Pauperiémque pati discit; stat navita portu
Sollicitus, metuítque ratim committere vento.
At nil te flectunt, animis invicte Leander,
Nimborum cœlique minæ; non te aspera ponti
Intercludit hyems, nec territat auster euntem.

Tædia nulla viæ, te nulla peric'la morantur,
Dum Fax alta vocat ; Fax ô malefida ! — Sed Hero
Quid ſibi ſurda velit ? Fremitúſne audire profundi
Nec ventos poterat ? Si mens non læva fuiſſet,
In vacuo certè jacuiſſet frigida lecto.
At (ſic Fata volunt, Fatíſque valentior ipſis
Sic jam ſuadet amor.) Dat nuncia ſigna Lucernæ,
Inque ſui funus tedam gerit ipſa Mariti.
Nox erat, & piceo velamine Jupiter aſtra
Condidit ; inſurgunt Euri, ruptique fragore
Cœperunt reboare poli ; quùm Numinis inſtar
Æquorei exuperans fluctus, animoſa Leander
Pectora Neptuni per ſpumea dorſa terebat.
Continuò effuſos accendens ignibus imbres
Tempeſtas ſine more furit ; tota æquora Triton
Vexat, & ingenti per longa volumina tractu
Æſtuat unda ferox ; montes tolluntur aquarum,
Quos prærupta putes inferre cacumina cœlo.
Mox crebreſcit hyems, omníque à parte ruentes
Conſligunt venti ; totis cum viribus Eurus
Involat in Zephyrum, Boreáſque obmurmurat Auſtro.
Interea Juvenis ſubiens extrema malorum
Gurgitis in medio, vicibus jactatur iniquis,
Atque ægrè ſua membra trahens ſic ora reſolvit.
Dii quibus imperium pelagi, quibus æquora curæ,
Hoc miſerum ſervate caput ! Date reddere terris
Hanc animam ! Tuque ô patrio Venus orta profundo,
Nunc adſis, nunc affer opem ! Tibi ſiqua poteſtas
In mare ; ſiqua tibi noſtri ſint cura dolores.
Parce precor, Borea ! Quìd iter conaris Amanti
Claudere ? Tempus erat, cùm vel tua frigida quondàm
Ignibus Actææ caluerunt pectora Nymphæ.
Hæc & plura dedit moribundâ voce ; canoro
Turbine diripiunt pereuntia verba procellæ.
Hinc ſpes omnis abit. Vano conamine fluctus
Tendit in adverſos, dum languida crura manúſque
Deficiunt ; quocunque vagæ rapit impetus undæ,
Defertur quaſi truncus iners, liquidámque patenti
Singultans bibit ore necem : Et jam morte gravatos
Attollens oculos, trepidantia lumina Tedæ

Suſpicit,

Suſpicit, atque atras vaneſcere vidit in umbras.
Vidit! Et in longum fugientes clauſit ocellos.
Seſtias at lecto jacet irrequieta, nec unquàm
Solvitur in ſomnos; ſed magno fluctuat æſtu
Curarum; & ſecum reputat, quæ cauſa morantem
Detineat, vel quæ premerent mala Fata Leandrum.
Protinus, ut primùm roſeos detexerat ortus
Lucifer, exiluit thalamo; campóſque liquentes
Anxia proſpectu longo metitur ab arce
Præluſtri; ſi fortè illum, ductrice relictum
Luce, per ignotas errantem cerneret undas.
Vix mare luſtra'rat, cùm ſpumas inter & algam
Aſpicit, ecce, ſuæ propter fundamina Turris,
(Horrendum viſu!) fœdata cadavera tabo
Heu, nimiùm benè nota! Comas & pectora rumpit;
Fœmineiſque replens ululatibus æthera, ſaltu
Demiſſam in præceps ſcopulo ſe infligit acuto.
Sic pereunt miſeri, ſed uterque fidelis, Amantes;
Qui non à ſeſe poterant vel Morte revelli.

Fragmentum Libri Quinti Poëmatis verè Divini, quod *Paradiſus Amiſſa* inſcribitur, à *Johanne Miltono* Anglicè conſcripti, Latino Carmine donatum.

[* *Nè fortè initio nimìs abrupto offendaris, Lector Benevole; paucis te præmonitum velim, Hæc eſſe verba Evæ ſomnium ſuum Adamo narrantis. Nimirùm Diabolus, Angelicâ formâ indutus, à Poëta fingitur Evæ in ſomnis apparuiſſe, fructúſque vetitos decerpſiſſe, decerptos guſta'ſſe: Ad quod facinoris audaciſſimi Eva ſtatìm horreſcit; dum Ille è contra videtur ineffabili quâdam voluptate atque lætitiâ perfundi.*]

* AST ille exultat, memorans; — O cœlitùs Arbor
In Terram demiſſa! Tuos dulcedine fœtus
Luxuriare dedit facilis Natura; ſed illis
Gratia major ineſt, potior quoniam ipſe Negatis.

Sed quarè, Guſta'ſſe, nefas? Anne invida cœli
Numina ſic ſtatuunt? ô vos dulciſſima Divûm
Fercula! Quæ primo levitèr ſi tangeret ore
Mortalis; ſubitò in Numen Mortalis abiret!
Hâc etenim virtute Bonum dotatur; ut omnes
Cùm ſeſe in partes latè diffuderit, inde
Grandeſcat, Fontíque ſuo accumulentur honores.
Ergò age, cedo manum, ô ſummi pulcherrima Proles
Et decus Artificis! Fœlix ego non tibi munus
Invideo: Fœlix jamjam, fœlicior ipſa
Protinùs evades, at non formoſior unquàm.
Accipe; tu poſthàc Divos numeraberis inter
Diva potens: Terræque gravi compage ſolutam,
Ire per æthereos tractus, Superúmque juvabit,
Quas hoc per facinus meruiſti, inviſere ſedes.
Dixit; & accedens, paritèr ſimùl admovet ori
Poma meo. Ambroſius per nares uſque palatum
Tranſit odor, ſtimulátque novum ſub ventre furorem.
Nectareas (invita licèt) ſub imagine noctis
Arripio ore dapes. Ambo ſuper ardua cœli
Extemplò rapimur; terrámque æquórque videmus
Deſuper in latum gemino porrecta ſub axi.
Limen at inſuetum dum ſic ego miror Olympi,
Sidereámque viam calco; malefidus in auras
Vaneſcit ſubitò Ductor, miſerámque reliquit
Aëre pendentem horrendæ ſub concava Lunæ.
Nec mora, cùm tacitè in terram delapſa, videbar
In ſomno ſomnum capere. At mihi qualia mentem
Gaudia tenta'runt, ubi primùm lumina Morpheus
Deſeruit! Quoties tot Crimina mente revolvo;
Me dormiſſe, juvat! Referenti talia conjux
Ingemit; ac mœſto has depromit pectore voces.
O mea vita! Mei Pars optima! Me quoque turbant,
Et mœrore pari afficiunt tua ſomnia mentem.
Somnia, ni fallor, (Deus omina læva ſecundet!)
Orta malo! Verùm unde malum? Sine labe creatam
Te totam Deus implet. At, ô mea dulcis Imago,
(Ut noſti) plures habitant in pectore Vires
Plebeiæ humano, Ratio quibus imperat inſtar
Reginæ; huic agilem Phantaſia proxima ſedem

Vendicat,

Vendicat, aërias pingens in Mente figuras,
Et rerum ſimulachra, foris penetrantia ſenſus;
Has Ratio Ideas jungit, vel dividit; unde
Cognitio noſtra exoritur. Sed membra quiete
Dum reſoluta jacent, ſolio Regina recedit,
Inque vicem aſcendit Phantaſia mima, reducens
Præterita; & varias rerum nullo ordine formas
Componens, nova monſtra parit. Sic nocte videmus
Centauros, hircúmque gerentem cornua cervi;
Sic tranſacta die, rursus molimur. In atro
Non alitèr ſomno tu, ſole cadente loquelas
Heſternas, recolis, longè majoribus auctas
Portentis. At pone metum; vel Numine dignum eſt
Concepiſſe nefas ſolùm: Non Crimina labem
Inducunt Animæ manent modò caſta voluntas.
Quam ſomno patra'ſſe piget, ſuccumbere culpæ
Qui poteris vigilans? Ideò nè pectus inanes
Diſcrucient curæ; nec triſtia nubila Fronti
Inſideant; fronti, quâ vix formoſior ipſi eſt
Auroræ, oceani cùm primò emergit ab undis.
Quin age, nos dudùm placidi per prata labores,
Ipſi nos fontes, atque ipſa arbuſta voca'runt.
Te jam caltha manet pretioſo rore gravata;
Te roſa, cui totos injuſſa recludit odores.
  His animum dictis cùm jam permulſerat, Evæ
Defluit ex oculis furtivo gemmea lapſu
Guttula; quam roſeis, qui tunc per colla fluebant,
Crinibus abſtergens, alias effundit; Adamus
Has pendere videns dubias in margine ripæ,
Oſcula luminibus figit, liquidóſque ſmaragdos
Ebibit: Ac ſponſæ lachrymas gratatur obortas,
Tanquam ſigna, pios nimiùm, confeſſa timores.
  Jámque ambo læti properant in aprica; ſed altæ
Vixdum permenſi nocturna palatia ſylvæ
Attigerant Phœbi radios, (qui Thetidos almæ
E gremio aſcendens, Paradiſi lampade montes
Sparſit, & aurato juſſit ridere colore.)
Cùm proni genua inflectunt; campóſque patentes
Immenſi reſonare docent modulamine laudes
Numinis; ut mos eſt, quoties Aurora reportat

Lætæ

Læta diem. Semper variis modulamina verbis
Aptantur, quæ ſponte fluunt ; nec copia fandi
Larga deeſt ; totum ſpirant præcordia Numen,
Quandocunque illis placeat ſeu, more precantûm,
Enarrare Dei laudes ſermone ſoluto,
Sive ornare velint numeroſo Encomia verſu ;
Quem vel Threicius plectro ſi pangeret Orpheus,
Deterior potiùs fieret quàm acquireret ullos
Inde novos (quamvis ſit dextra arguta) lepores.
Ad cœlum erecto vultu, concentibus auras
Suaviloquis implent, dum talia voce profantur.
Quocunque aſpicimus ; ſeu vaſta volumina Cœli,
Seu Terras Pontúmque vagis metimur ocellis ;
Omnia, Summe Pater, tua ſunt. Te cuncta fatentur
Authorem ; in cunctis pulcherrima fulget Imago,
At ne pulchra quidem, Tecum collata, videtur.
Vos, qui ſidereum circundatis æthere ſummo
Regis inacceſſi ſolium radiante coronâ,
Aligeri ; auguſto ac ſemper pendetis ab ore
Attoniti ; (benè noſtis enim) vos pangite Laudes,
Pangite, dum terras divinum carmen ab alto
Pertingat, terríſque iterùm ſuper aſtra reſultet ;
Pangite perpetuos, de Numine pangite, verſus !
Tu, qui flammigeri mundi nitidiſſimus Orbes
Ducis, anhelantes præceps quùm Phœbus in undis
Mergit equos ; tecum vel pignora certa diei
Promiſſi revehis ; tu, Phoſphore, clarius ipſo,
Effulgere tuo facias cum ſydere Numen.
Sol, qui per Terræ vegetantem viſcera flammam
Inſinuas, Mundíque Oculus clariſſimus audis ;
Quaſcunque inviſis gentes, quoſcunque receſſus
Ignotos, tu fare tui præconia Phœbi,
Qui tibi purpureæ frontis largitur honores.
Tu quoque fraternos quæ nunc petis obvia currus,
Nunc fugis, incedens Regina per ætheris aulam
Stellarum comitante choro, qui pendulus axi
Volventi aſſiduè circumgyratur in orbem ;
Vóſque per ambages fluidi palantia campi
Sydera ; vos Sphæræ, vocalia plectra moventes
Ad numeros ; laudate Deum ſimùl omnia, verbo

Qui

Qui potuit Lucem pigris excire Tenebris.
Vos etiam, Rerum genitalia Semina, primò
Quæ Natura parens ingenti excluſerat alveo;
Tot narrate modis Domini præconia, quotquot
Corpora ſub dias renovata emittitis auras.
Vos etiam, tenues Fumi Nebulæque volantes
Stagna ſuper, fuſco vel culmina montis amictu
Cingentes, radiis dum vellera Phœbus inaurat
Extrema; Æterni vos tollite in ardua laudes
Artificis; vario ſeu jam veſtire colore
Cœrula, ſeu toſtos rorare vaporibus agros,
Surgitis in nubes; diffundite nubibus altis,
Atque per arentes, Domini præconia, campos.
Vos Domino, lenes Venti, ingeminate ſuſurros:
Turbine vel ſylvas perflante, cacumina Pinus
Proceræ ſinuate Deo, & procumbite Quercus.
Vos gelidi Latices, per gramina murmure læto
Reptantes, Dominum laudate loquacibus undis.
Illius in laudem, Volucres, plaudentibus alis
Deproperate melos blandum per guttura, cœlo
Dum liquido audaces urgetis in aſtra volatus.
Illius in laudes, vos cuncta trahentia lumen
Æthereum, unanimis attollite vocibus Hymnos;
Seu vada cœrulei ſulcatis inhoſpita ponti,
Sive gradu elato frondoſa per avia curſum
Ducitis, aut longo quæ volvitis agmine cauda
Pulveream per humum: Vos omnia conſcia teſtor,
Vos narrate, Dei ſi laudes immemor unquàm
Vel naſcente die, vel decedente, ſilebo;
Neve meum referet carmen convallibus Echo.
Magne Opifex rerum! Tu præſens uſque memento
Impertire Bonum nobis. Si fortè tenebris
Nox infauſta Malum celaverit; ô Deus alme,
Disjice, nigrantes ut Sol modò diſſipat umbras.
Talibus innocui orabant; & nubila mentis
Turbatæ ſubitò aufugiunt, redeúntque ſerena.
Tum ſolitas, inter ſtillantes nectare flores,
Ad curas iter accelerant; ubi ſiqua comantes
Luxurioſa nimis ramos expanderit arbor,
Reſcindunt: Vel ſiqua premat jam nubilis herbam

Vitis,

Vitis, ad amplexus ducunt ; quæ protinùs ulmo
Brachia lascivè innectit, sterilémque mariti
Vestit adoptivis truncum, pro dote, racemis.
His ita detentos curis miseratus ab alto
Prospexit Pater Omnipotens, volucrémque Ministrum
Compellat Raphael, qui se sociare Tobiæ
Dignatus, monstravit iter quo tutus iniret
Conjugium totiès nuptæ fatale Puellæ ;
Quémque his alloquitur dictis, ac talia mandat.
Cernis ut insolito Tellus commota tumultu
Ferveat, & quantis agitavit pectora curis
Humanæ Proli Satanas ; qui nupèr Abyssum
Emensus vastam, Paradisi mœnia saltu
Transiit hesternæ per amica silentia lunæ.
Jámque dolos animo vafro meditatur, ut Illis
Corruptis omnes possit vitiare futuros.
Vade age, colloquiis reliquum consume diei
Cum socio, tanquam benè notus amicus, Adamo ;
Qui nunc æstatem fugiens, sub frondis opaco
Tegmine, vel reficit placido sua membra sopore,
Sive famem relevat. Sermones inter agendum,
Sæpiùs inculca Cœlestis gaudia vitæ ;
Qualem si cupiat, modò perstet firma voluntas,
Velle sat est. At velle potest ; nam nulla cœrcent
Fræna voluntatem : Tamen est mutabilis. Ergò
Præmoneas, nimiùm nè jam securus Aberret.
Insupèr ostendas, quàm sævo obsessus ab hoste
Discrimen patitur ; qui deturbatus Olympi
Sedibus, æthereas aliis nunc invidet arces,
Atque viam tentat præcludere. Conscius armis
Se nil posse, dolos varias & callidus artes
Fabricat. Hæc summa est, hic nostri nuncius esto ;
Nè, non prænonitus, postquàm peccaverit ultrò,
Ignotæ poterit fucos obtendere Culpæ.

Illu-

Illuſtriſſimi Principis
FREDERICI GULIELMI,
Electoris *Brandenburgenſis*, &c.
Exequiæ, Anno 1688.

TEutonicos inter planctus, & mœſta Codani
Murmura fluctiſoni, paſtor dum quiſque ſub ulmo
Rupibus ac ſylvis modulatur arundine carmen
Funereum, & reſonæ jactant ad ſydera valles;
Da quæſo, Frederice, tuis ut Manibus ultrò
Advena ſupremos etiam perſolvat honores,
Aſſideátque tuo plorans mea Muſa ſepulchro.
At quâ laude virum, quo tanti nominis Umbram
Elogio exornem, quem non laudaverit ætas
Ulla ſatis? Quali gemitu, quantóque dolore
Proſequar, ulla ſatis quem non defleverit ætas?
Fulmineæ vires dextræ, bellíque labores
Aſſiduos, fuſáſque acies, ereptáque ſigna
Hoſtibus è mediis, alios fortaſſe juvabit
Dicere; Pierides, ſed nos majora canamus.
En, jacet Auſtriaci ſummum decus atque fidele
Præſidium Imperii! Jacet invictiſſimus Heros!
Quem non auſus erat (ſi qua eſt ea gloria) Gallus
Innumeram oſtentans aciem, rapidíſve Polonus
Acer equis, gladio jactíſque laceſſere telis.
Suedia bellatrix non jam conatur, ut olim,
Imperii fines calido proferre ſub auſtro';
Sed contenta ſuis, Arctoæ frigora brumæ
Dura pati gaudet. Nec Magni nomen Adolphi
Uſque adeò jam grande ſonat. Vix ille tremendus
Hector, Odera, tuas unquàm fœdaverat undas
Sanguine Germano; nec tot ſua tempora lauris
Induerat, noſter ſi tunc regn'aſſet Achilles.

O gens chara Deo! Tibi quàm felicia regna!
Quàm nivei fluxere dies! Quámque ubere læto
Riſit opimus ager! Quid non ſperare licebat
Principe ſub tali? Qui dum perterreat hoſtes
Vel famâ ingenti; ſine bello victor, ovantem
Per populum incedit, magnúſque in pace triumphat.
Ceu leo, deſertis latè qui regnat in oris
Ardentis Libyæ, vaſto dum fuſus in antro
Et requiem & frigus captat; ſi fortè vel urſa
Hiſpida, vel tigris, recubantem aſpexerit, aures
Demittens pavidas tacito per devia curſu
Aufugit, atque ultrò dominum, regémque fatetur.
Roma ſuos tandem, nimiùm ventoſa, Catones,
Fabricios, Decios, Curióſque efferre ſub aſtra
Laudibus abſiſtat: próque illis omnibus unum
Nominis auguſti Fredericum fama loquatur.
O quàm pulchra tenet diæ Virtutis imago
Nos planè attonitos; dum te, Gullelme, tuemur,
Inque tuâ fronti geminam radiare Coronam!
Juſtitiámne prius mirer, clariſſime Regum,
Sive Deos erga pietatem? Totus in illam,
Totus in hanc fueras incumbere viſus; utramque
Sic tamen exercens ut vel neutrique deeſſes.
Non tibi erant cordi lautæ convivia menſæ,
Non aliena Venus; nec pectora maſcula fregit
Perſica luxuries. Teſtor tua robora dextræ,
Atque gravem, rapido quam turbine torſeris, haſtam:
Teſtor & illuſtres, chariſſima pignora, Natos,
Ordine qui longo numerantur; teſtor & annos
Neſtoreos, niveúmque verendæ frontis honorem.
Sic, ter magne Heros, variis cumulate Deorum
Muneribus; tandem, titulis & plenus & ævo,
Haud cadis, at placidè moriens procumbis in urnam!
Hactenùs ipſe tuo mœrens, Germania, damno
Ingemui. Verùm, ecce, nova uberiórque doloris
Exurgit mihi materies! Nam ſors tua dura
Afficit haudquaquàm leviori clade Britannos.
Occidis, ô noſtræ non ultima gloria Gentis!
O Britonum prædulce decus! Tibi cœrula quanto
Vitta Periſcelidis noſtræ per colla decore

Ser-

Serpebat! Sonipes victor dum proterit Hydram
Luctantem, ecce, tuo pendens de pectore, vires
Inde novas animósque in prælia ferre videtur!
Occidis! Immeritò qui non audire solebas
Strenuus Angliacæ Fidei tutamen & ultor.
Ah, quoties meminisse juvat, charissime Princeps,
Quàm latè expansis ulnis, quàm fronte benignâ
Excipis hospitio Fratres, quos effera Romæ
Sævitia (infandum!) patriis proscripserat arvis
Nupèr, & ignotum jussit migrare per orbem.
Dúmque ferè exhaustos jam casibus, omnium egenos,
Urbe, domo socias; clades ac vulnera, sævi
Quæ dederant Galli, plúsquam pensantur ab Ipso.
O vos felices! Si sic revalescere Divi
Concedant Miseris; quem non, Periisse, juvaret?
I nunc, si lubeat, jacta vegrandis, inermi
Insignes de gente tuos, Lodoice, triumphos.

HIBERNIA PLORANS,

Carmine Pastorali,

Melibæus, Lycidas, Alexis INTERLOQUUTORES,

Anno Dom. 1689. Mense *Julii.*

Melib. UNde, & quò, Lycida? Quid vult sibi mantica tergo
Ista appensa tuo? Cùr tu quoque, noster Alexi,
Usque adeò festinus iter moliris; & altos
Creber anhelanti gemitus à pectore ducis?
Lycid. Haud vacat effari (nam longa est fabula) nostræ
Quæ sit causa viæ. Jam vix ereptus ab Orci
Faucibus horresco; & si me non ludit imago,
Miles adhùc stricto supra caput imminet ense.

Alex. Quò fugiam? quæ nunc miſero mihi ſylva latebras,
Aut quæ ſaxa dabunt? En, ó Melibæe, Deorum
Munere, per medios hoſtes, per tela, per ignes
Hùc tandem elapſi pervenimus! *Lyc.* Audin', Alexi,
Quadrupedantis equi ſonitum? Fremit ecce tubarum
Clangor, & attonitas jam nunc diverberat aures!
Melib. Omnia tuta times, Lycida. Quæ ſomnia narras?
Quos audis lituos? Vanam hanc precor exue mentem.
Circumquaque ſilent latè loca; nec levis uſquàm
Populeas inter frondes movet aura ſuſurros.
Quò properas? Nonne ipſe vides, quàm terra dehiſcat
Sole ſub ardenti, medium qui fervidus alto
Jam vehit axe diem? Mecum recubare ſub umbrâ
Quid vetat? Antiqui ſi non ſis prorsùs amoris
Immemor; antiquos paulùm recitemus amores.
Lycid. Neſcis, ah Melibæe, meos quàm denſa malorum
Turba ſinus agitent! Ibi non locus ullus Amicæ.
Nil mihi formoſâ cum Phyllide: Nec mihi rursùm
Dulcis erit (quondàm gratiſſima) fiſtula curæ.
Alex. O felix Melibæe! Tuo quæ mitia rurî
Numina jam præſunt? Paſtores inter Ibernos
Unicus es, quem nulla Deorum exercuit ira.
Nos patriæ fines & dulcia linquimus arva;
Nos patriam fugimus: Gelido tu ſuſus in antro
Fronde ſuper viridi, cantas Amaryllida ſylvis
Vicinis; referunt dociles Amaryllida ſylvæ.
Melib. Uſque (fatebor enim) licuit mihi dicere, ab illo
Tempore, quo noſtras Princeps Jacobus ad oras
Appulit; "Hæc mea ſunt; procùl hinc, procul ite latrones
Armigeri! Vobis non hos conſevimus agros.
Ille idem hæc nobis dedit otia; pérque virentes
Ad libitum juſſit campos errare capellas.
Lycid. Non equidem invideo, bone vir. Sic notus Ulyſſes?
Romulidûm ſic nota fides? Vel dona ferentes
Romulidas certè timeo. Nè crede; caveto,
I fuge, dum poteris: Viridi latet anguis in herbâ.
Alex. Me miſeret, Melibæe, tui! Quem vafer inermem
Hoſtis in amplexu fovet, ut præcordia telo
Certior attingat. Sic noram ſæpiùs hœdum
Liberiore gradu per paſcua læta vagari,

Quò

Quò tandem imbueret jam victima pinguior aras.
Melib. An cadit in quenquam tantum ſcelus? Abſit, Alexi,
Abſit, ut aſcribam tàm ferrea ſceptra Jacobo!
Dent meliora Dii! *Alex.* Quorsùm mihi ſceptra Jacobi
Occinis? Ille ſuo nunc porrigit ora capiſtro;
Durúmque agnoſcit Dominum: Quin haud pudet ipſum,
(Proh fœdum auditu!) Gallo ſub Rege mereri.
Gallia enim, toti quæ vult dominarier orbi
Per fas atque nefas, etiam hæc in Regna rapaces
Injecit furibunda manus. Bella, horrida bella,
Hinc modò graſſantur noſtros impunè per agros.
Melib. Certè equidem miranda refers. Verùm unde petita?
Credo quòd à triviis; ubi mendax Fama loquaci
Turbæ hominum vanis replet ſermonibus aures.
Alex. O me felicem, mihi ſi noviſſe liceret
Hæc ſolùm à vano populi ſermone! Sed horum
Pars ego magna fui: Quæq; ipſe miſerrima vidi
Hiſce Oculis, ea tota tibi jam narro. *Lyc.* Dolores
Infandos renovare jubes, Melibæe. Cupido
At quoniam te ſumma tenet cognoſcere, fato
Quo ſumus oppreſſi; caſus, en, accipe noſtros.
"Fortè, per occiduum quùm jam devexus Olympum
Sol urgebat iter, mecum conſedit Amyntas
Fronde ſub iliceâ: Paſsim per mollia campi
Gramina ludebant ſaturæ cum matribus agnæ.
Sedulus ille parat Galateæ ſerta puellæ
Florea; dum calathos ego lenti vimine hibiſci
Texebam: à tergo confeſtim ſylva fragore
Horrendum inſonuit; ſubitóq; ærata caterva
Emicat, & ſtrictis circum nos funditur armis.
At quid multa? Greges inter captivus Amyntas
Ducitur; ipſe, bonus pedibus, per devia ſylvæ
Aufugio, & coryli denſis me condo ſub umbris.
Sic gladium evito: Sed poſtquàm Luna quadrigæ
Bis niveos apta'rat equos, dum luſtra ferarum
Inter & anfractus erro; mihi pallida vultum,
Rugoſas macilenta genas, obſiſtitur ipſos
Ante oculos maleſuada Fames, arcúmque ſagittâ
Inſtruit, intentátque atroci vulnere mortem.
Heu! Quid agam? Quò me vertam? Sententia demùm

Hæc

Hæc ſedet; ut referam greſſus, propriósq; reviſam
Jam vacuos (mecum ſic rebar) ab hoſte penates.
Regredior; nec longè aberam, quùm ſcena dolorum
Altera ſe pandit. Nigris obducta favillis,
Flammarúmq; globos alto agglomerantia cœlo,
Fumant tecta Caſæ. Clarâ ter voce maritam,
Ter natum appello: Sed nil mea fida Neæra,
Nil mihi clamanti reſpondet charus Iolas.
Protinùs horrore obſtupui; nervíſque ſolutis
Genua labant: Et ſi non opportunus Alexis,
Illàc fortè viam tendens, ſubvenerat ægro,
Prolapsóque manum porrexerat; ipſe ſub umbras
Fugiſſem, fœlix ſocius tibi, dulcis Iola!
Nec jam (ah, tædet enim) cœli convexa tuerer.
Melib. O Lycida, nimiùm duris exercite fatis!
Quas tecum lachrymas, aut quæ ſuſpiria fundam
Digna tuo caſu? Si vel truculentior eſſem
Tigribus, aut quamvis triplici durata metallo
Corda forent; poſſem veſtris affiere querelis.
Alex. Quid faceres, Melibæe? Tuos quæ flumina vultus
Implerent? Si mille agri vaſtata videres
Jugera, direptáſque domos, eversáque templa,
Cladémque ſtragéſque ferox quas edidit Hoſtis
Haud procùl à fluvio, muros qui proluit urbi
Sat bello claræ, gelidam quà vergit ad Arcton
Hæc Regio infelix. Illìc bacchatur Enyo
Undique; & ejectis mendicant arva colonis.
Paſtor ibi, incultos per montes avius errans,
Nunc ad ſaxa gemit, precibus nunc Pana fatigat;
Pan minùs à precibus, gemitu quàm ſaxa moventur.
Melib. Anne Deus noſter ſolito pro more benignus
Eſſe negat? Neque curat oves, oviúmve Magiſtros?
Haud credam. *Lyc.* Iratus certè Pan iſta reliquit
Rura; nec immeritò. Nam dudùm Sacra profana
Capripedis Fauni temera'runt Illius aras.
Alex. Admonuit rectè Lycidas, Melibæe; mihíque
Suggerit, ut dicam, propiùs quod ſpectat Alexin.
"Pinguis ubi latè nitidos Ultonia campos
Porrigit; in medio, piceis atque ilice nigrâ
Stat Nemus umbroſum: Pietas antiqua Parentum

Hoc

Hoc ſacrum voluit Pani, propriúmque dicavit.
Hìc ego votivum noſtris ab ovilibus agnum
Ante focos cæſurus eram ; jámque hoſtia cultro
Ingemuit, multúſque cruor tepefecerat herbas.
Quùm ſubitò Fauni, & reliquorum Semideorum,
(Qui ſilvas habitant numero plus mille) ſacerdos,
Milite utrumque latus ſtipante, irrumpit ; & ore
Intonat : Horrendo ſonitu nemus omne remugit.
Intereà trepidus nequicquàm altaria circum
Volvor ad amplexus ; nequicquàm Panos aſylum
Confugio : Sumunt etiam hìnc mea crimina pondus.
Protinus abripior galeato Judice coram
Siſtendus. Causâ indictâ ; (quòd vita ſuperſit,
Veſtrum eſt, ô Superi !) tectóque exutus, & omni
Armento, æternùm patriis arcendus ab arvis,
Mittor in exilium. Vos, ô mea rura, valete !
Ite mei, felix quondàm pecus, ite juvenci !
Ecquis erit poſthàc, qui vos ad pinguia ducet
Prata ; vel, æſtivum ſidus quùm torret ariſtas,
Denſa dabit patulæ vobis umbracula fagi ?
Ecquis erit poſthàc, qui vos, jam vomere duro
Languentes, placido cantu mulcebit avenæ ?
Ite mei, felix quondàm pecus, ite juvenci !
Melib. Sis precor æquo animo. Non hæc ſine numine Divûm
Eveniunt, ô Alexi ! brevi poſt tempore (ſiquid
Fert mea mens præſaga) dabit Deus his quoque finem.

F I N I S.

11/13/8006

Books Printed for, and Sold by Thomas Speed, *at the* Three Crowns *near the* Royal Exchange *in* Cornhill, 1694.

THirty Six Sermons, *viz.* 16 *Ad Aulam.* 6 *Ad Clerum.* 6 *Ad Magistratum.* 8 *Ad Populum.* With a large Preface. By the Right Reverend Father in God, *Robert Sanderson*, late Lord Bishop of *Lincoln.* The Eighth Edition, corrected and amended. Whereunto is now added the Life of the Reverend and Learned Author. Written by *Isaac Walton. Folio.* Price 15 *s.*

A Sermon at the Funeral of the Reverend Mr. *Thomas Grey*, late Vicar of *Dedham* in *Essex*; preach'd in the Parish-Church of *Dedham*, *Feb.* 2. 169½. With a short Account of his Life. By *Joseph Powell*, A. M. Rector of St. *Mary on the Wall*, in *Colchester.* Price 6 *d.*

An Anatomy of Atheism. A Poem. By a Person of Quality. 4°. Price 6 *d.*

Conversation in Heaven. Being Devotions; consisting of Meditations and Prayers, on several Considerable Subjects in Practical Divinity. Written for the Raising the Decay'd Spirit of Piety. By *Lawrence Smith*, L L. D. Fellow of St. *John's* College in *Oxford*, 12*mo.* Price 2 *s.*

Lusus Amatorius: sive, Musæi Poema de Herone & Leandro, *è Græcâ in Latinam Linguam Translatum. Cui Aliæ (tres scilicet) accedunt Nugæ Poëticæ. Authore* C. B. *è Coll. Di. Jo. Bapt. Soc.* 4o. Price 6. *d.*

Tachygraphy: The most Exact and Compendious Method of Short and Swift Writing, that hath ever yet been published by any. Composed by *Thomas Shelton*, Author and Professor of the said Art. Approved by both the Universities, 8*o.* Price 1 *s.*

Zeiglographia: Or, a New Art of Short-Writing, never before published; more Easie, Exact, Short, and Speedy than any heretofore. Invented and Composed by *Thomas Shelton*, Author and Teacher of the said Art. Allowed by Authority, 8*o.* Price one Shilling.

Index Rhetoricus & Oratorius, Scholis, & Institutioni tenerioris ætatis accommodatus, cui adjiciuntur formulæ Oratoriæ, & Index Poeticus. Opera & studio Thomæ Farnabii. *Editio Novissima prioribus emendatior*, 12*mo.* Price 1 *s.* 6 *d.*